DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ICTERO.

Auctore Jacobo Crawford.

PROŒMIUM.

Jecur ex omnibus conglomeratis glandibus longe amplissimum est, colore subfusco et subrubro insigne, in regione hypochondriaca dextra, quam implet, partimque in epigastrica; et in fœtu ad hypochondriacam sinistram pertingit; ponitur.

Superficies jecoris superior convexa, inferiorque inæqualiter concava, est; peritoneo, cujus plicæ duplices, ligamenta quibus ad corpus adnectitur, et loco proprio tenetur, formant, obducitur. Jecur largissime nervis, vasis sanguineis, lymphaticisque, suppeditatur; fluidum coloris subviridis et sub-



flavi, saporisque amari, quod vulgo *fel* vocatur, secernere destinatur. Hoc fluidum a sanguine venoso qui ad jecur per venam portam vehitur, et omnibus aliis secretionibus corporis valde dissimile secernitur: nam hæ omnes a sanguine arterioso secernuntur.

Tubuli biliferi, qui majores majoresque fiunt, et denique unum ductum Hepaticum vocatum, qui mox cum ductu vesicæ fellis se conjungit, ductumque communem choledochum, a quo fel in intestinum duodenum transmittitur, constituit, formant, bilem a sanguine secretam recipiunt. Fel vi ductuum insita contrahendi, et motibus diaphragmatis, jecoris, et viscerum vicinorum in duodenum propellitur, ubi generationem chyli a chymo promovet, etiamque intestinis stimulum necessarium, quo munera eorum rite perfunguntur, dat. Quando bilis in ejus transitu in canalem alimentarium impeditur, fere in sanguinem intrat, et ad superficiem corporis affertur, tunc cutis flava, et morbus qui *Icterus* vocatur, adsunt.

Hic morbus variis nominibus apud vetustos auctores cognoscebatur; a GRÆCIS ικτερος, propter

flavedinem cutis, plumæ avis ejus nominis simillimam, vocabatur; *Morbus Aurigo*, propter colorem aureum; et *Morbus Regius*, a CELSO, quod putabatur, si ægri more Regum se indulgebant cito sanarentur, vocatur. Sic scribit:

"Per omne vero tempus utendum est exercitatione, frictione; si hiems est, balneo; si æstas, frigidis natationibus. Lecto etiam, et conclavi cultiore, lusu, joco, ludis, lascivia, per quæ mens exhilaretur: ob quæ Regius Morbus dictus videtur *."

DEFINITIO MORBI.

HIC morbus in Nosologia celeberrimi CULLENI, in classe Cachexiarum, et ordine Impetiginum, ponitur; et sic definitur:

"Flavedo cutis et oculorum; fæces albidæ; urina obscure rubra immissa, colore luteo tingens:" Species quinque ab eodem auctore innumerantur, scilicet, Icterus *Calculosus*, *Spasmodicus*, *Hepaticus*, *Gravidarum*, et *Infantum*.

---

* CELSUS de Medicina.

HISTORIA MORBI.

Icterus, ut a celeberrimo Heberdeno observatur, inter frequentissimos jecoris morbos, et minime periculosus, est. Tamen attentionem medicorum optimo jure vindicat, quoniam nobis testantibus, mors, quamvis omnes conatus virorum solertissimorum adhibiti sint, persæpe consecuta est.

Icterus mortales sub omni cœlo, omni ætate, in temperamentis aut sexibus variis, corripit; vero senes et adulti hoc morbo quam infantes vel adolescentes sæpius affecti sunt. Fœminæ, propter vitam sedentariam, quam homines, Morbo Regio, sæpius flavescunt. Intemperati magis quam abstemii Ictero obnoxii sunt. Ii qui, literis, ignaviæ et mentis anxietati, dediti sunt, quam alacres et vividi, sæpius *morbo arquato* afficiuntur; et temperamentum corporis melancholicum magis quam ullum aliud.

Icterus tam stricte hæreditarius, quam Phthisis pulmonalis, Mania, Scrofula, aut Podagra, for-

tasse referri non potest. Tamen nullum dubium mihi videtur, sed morbus apud aliquas gentes peculiaris est; ut MORGAGNI cujus verba sequentia testantur: "De quindecem filiis meis, cum mox a partu flavi omnes, et nonnulli etiam haud ita leviter essent facti, cunctis per se nullo prorsus artis auxilio, paulatim Icterus solutus est*."

Icterus interdum subito ægrum invadit; sed æger sæpius, morbo ineunte, languore, lassitudine, anorexia, flatu, aciditate ventriculi, et symptomatibus Dyspepsiæ aliis, quæ vere ostenduntur, cibo non bene concocto, corripitur. Dolor hypochondrii dextri obtusus, gravitatis et tensionis sensus circa præcordia, et interdum cum respiratione difficili sentiuntur; et æger ad inertiam et ignaviam maxime pronus est. Brevi tempore tunica adnata, tempora, et ungues croceo colore, obducuntur. Morbo progrediente, non solum cutis, viscera thoracis et abdominis, et partes jam dictæ flavescunt; sed etiam cerebrum, cartilagines, et ossa croceum

---

* MORGAGNI de sedibus, causis Morborum, Lib. iii. Epist. 48. Art. 60.

colorem, ut SAUNDERIUS, ab incisis Icterorum cadaveribus testatur, habent.

Alvus plerumque adstricta est, et fæces albidæ, duræ, argillæque similes sunt, neque solitum fœtorem emittunt. Urina obscure rubra est, et immissa colore luteo tingens. Cutis interdum aret et prurit. Lingua crusta albida-fusca obducitur, et æger interdum magna siti afficitur. Nausea et vomitus sæpe urgent; singultus et rigores interdum adsunt. Pulsus, nisi signa pyrexiæ adsint, fere naturalis, sed potius mollis et debilis, est. Si pyrexia sit, tunc validus et durus, sed quando calculus per ductum in intestinum transit, pulsus tardior naturali, ut testatur SAUNDERIUS, fit*.

Quando Icterus, calculo biliario in ductu communi choledocho inhærenti, oritur; rigores dorsi et extremorum inferiorum adsunt, dolores acuti in regione jecoris post pastum aucti, et ad humores intendentes, sentiuntur. Irritatio corporis magna, calor cutis, pulsus celer, sitis magna, lingua albida, vomitus, et urina coloris alti subni-

---

* SAUNDERS on the Liver, p. 228.

grum lateritium sedimentum deponens, ægrum sæpe afficiunt. Lachrymæ et saliva flavescunt, et omnia amara sapiuntur. Quidam scriptores narrant, omnia luteo colore tincta, bile cum humoribus oculorum mista, quibusdam Ictericis, videri. Sanguis ex vena incisa missus et concretus luteo colore apparet, et omnes aliæ secretiones colore simili imbutæ sunt; nisi lac, quod bilis expers est, ut SWIENTENIUS, auctor fide dignus, testatur.

"Vidi" inquit "Ictericam mulierem cui facies et totum pectus saturata flavedine tingebantur, reliquæ corporis partes non, infans quem lactabat, non repudiavit ubera materna, et lac inveni albi coloris, absque ulla amaritie*," et de hac re clarus HEBERDENUS certiores nos facit.

Vidi" inquit "fœminam quæ Ictero laborabat sesquimensem, et per totum hoc spatium lactabat infantem prosperrima, ut videbatur valetudine; atque ipsa mihi dixit, lac fuisse coloris naturalis†.

---

* SWIENT. Comment de BOERHAAV. Aphor. Tom. iii. p. 141.

† HEBERDENI Comment, Cap. i. p. 210.

Nonnulli autem de hoc aliter sentiunt, et UNDERWOOD sic scribit:

"Women long afflicted with Jaundice, during any part of their pregnancy, and even actually brought to bed in that state, do not affect their children, unless they also suckle them; but from striking instances, I have found, that suckling in that state is capable of communicating the true Jaundice to a great degree; and that it will not be cured, but by the recovery of the suckling mother or nurse, or by the infant being weaned, as well as properly treated *."

Quando Icterus faustus terminat, hypochondrii dextri dolor, et gravitatis tensionisque circa præcordia sensus, decedunt. Appetitus et digestio redeunt, fæces colorem et fœtorem naturalem recuperant, et facilius evacuantur. Urina quantitate majore redditur, et immissa colore luteo tingere cessat. Oculi, ungues, et cutis colorem flavum amittunt, et æger brevi tempore ad sanitatem solitam restituitur.

---

* UNDERWOOD on the Diseases of Children, vol. i. p. 27.

Sed quando Icterus diu protrahitur, hypochondrii dextri dolor, et præcordiorum tensio et gravitas multo augentur; pulsus frequentior fit, et corporis universi torpor cum debilitate magna adest. Color flavus paulatim in viridem vel nigerrimum, unde Icterus vulgo *Niger* dicitur, abit, vel, ut testatur CELSUS, subalbidus fit*. Petechiæ et maculæ interdum apparent. Ulcerationes et hæmorrhagiæ, cum sudoribus viscidis et gelidis ex variis corporis partibus, erumpunt. Fæces et urina fuscæ et subnigræ sunt; et æger odorem tetrum exhalat; ascites sæpe supervenit; et brevi tempore mors sequitur.

CAUSÆ REMOTÆ.

OMNIA, quæ fellis in duodenum cursum immediunt, icterum producunt. Omnes animi graves affectus, ut anxietas et mœror, et temperamentum melancholicum, homines ad Icterum pronio-

B

* CELSUS de Medicina, Lib. iii. p. 116.

res reddunt. Viri, literis vel vitæ sedentariæ assueti, morbo regio obnoxii sunt. Liquor spirituosus liberius adhibitus, ductus crassiores et angustiores reddendo, interdum Ictero originem præbet. Uterus gravidus et fæces induratæ in colo accumulatæ, ductum communem choledochum sic comprimunt, ut fel in duodenum ex eo non fluat, et aliquando Icterum inducunt.

Bilis, cœlo calido, et febribus remittentibus ad supra modum fluendum sæpe excitatur; tunc pars superflua absorbetur, Icterum interdum movet; sed hac causa rarissime est. Mucus viscidus in duodeno collectus, meconium, quo alvus infantum haud diu natorum induitur, semina acinorum, et hydatides in jecore formatæ, et istinc in ductum communem descendentes, orificium ductus obturando, Icterum excitant. Pars fellis tenuis interdum in vesica ejusdem absorpta, bilis hæc, pici liquidæ similis fit; et in ductum communem choledochum transiens, bilem fluidam in duodenum ex jecore euntem multum prohibet: Icterus interdum hoc modo concitatur.

Scirrhus aut jecoris, pancreatis, pylori, vel viscerum vicinorum tumores, ductum hapaticum

ita comprimentes, ut fel per eum transire nequeat, inflammatio et ossificatio ductuum, spasmus duodeni orificium comprimens, vel spasmus ductuum ipsorum, casus Icteri interdum præbent. Hi ductus, secundum nonnullos scriptores, quia, fibræ musculosæ tunicarum earum, in statu sano ab anatomicis nunquam conspectæ fuerunt, spasmo affici non possunt. Sed, quando ductus, calculo per longum tempus distenditur, suæ fibræ musculosæ facile visæ et demonstratæ sunt*. Propter magna beneficia ab usu opii, balnei tepidi, et aliorum antispasmodicorum, in vehementibus Icteri paroxysmis obtenta; nulla dubitatio de Ictero, per spasmum ductus communis, interdum oriente, mihi videtur. Icterus actione aliquorum venenorum, emeticorum, et catharticorum violente, et morsu canis rabidi, et serpentum oriens, interdum refertur.

Quando bilis in vesica fellis aliquamdiu inhæret, tenuibus partibus resorptis, non raro in calculum convertitur; sed interdum calculus bile expers invenitur. Calculi, in poris biliariis et substan-

---

* Prælectionibus Dris Monro.

tia jecoris parenchymatosa, detecti sunt; sed in vesica fellis, et ductibus hepaticis, multo frequentius adsunt. Hæ concretiones, sectione cadaverum, in vesica fellis apud ægrum qui Ictero affectus nunquam cognitus erat, sæpe inventæ sunt. Sed quando calculus, quacumque actione corporis vehementi, ut vomitu, tussi, sternutatione, vel saltatione, e vesica fellis in ductum communem choledochum propellitur, et cursus bilis in duodenum sic prohibetur; Icterus brevi apparet. Hæc affectio calculo quam ulla alia causa frequentius oritur.

Calculi biliarii, figura, numero, mole et colore plurimum variant. Quando calculi plures in vesica fellis simul sunt, sæpissime asperi et polygonii; sed cum solitarii, plerique ovales et rotundi, cum superficie lævi, sunt. Mille et plures calculorum, alii, vix arenæ, et alii juglandis magnitudine, in vesica fellis inventi sunt; et Doctor Baillie unum ovi gallinæ mole vidit. Quidam calculi, coloris subalbidi, subfusci, subnigri vel nigerrimi, inventi fuerunt. Structura eorum lamellata vel striata est; necnon opaci sunt, interdum ob levitatem supernatant. Plerique eorum

saporem amarum habent, calore inflammantur et liquescunt; ex bile spissata, alcali minerali, et volatili, cum resina, et parva terra calcaria, et materia inter adipem et ceram media, *Adipocera* nominata, constare, videntur. *Adipocera* calore inflammat, et quasi cera liquescit; alcohole et æthere tepefactis, oleo terebinthinæ et acido nitrico solvitur: Potassa, soda, et ammonia, compositionem saponi similem ostendit. Hæc substantia in quantitate majore vel minore in calculis humanis continetur, et basem plerorumque formans videtur*. Sed quidam calculi *bile* aut *adipocera* non compositi, in liquoribus supra relatis insolubiles, qui non inflammantur, sed cadescunt, et ad prunas rediguntur, a Doctore Saunders inventi sunt. Hæc species ex materiis salinis in felle nunquam detectis, constat†.

---

* Murray, "System of Chemistry," vol. iv. p. 595.

† Saunders on the Liver, p. 139.

CAUSA PROXIMA.

Quidam vetusti auctores fel in sanguine jam formatum existens, et jecur more mechanico ad fel a sanguine separandum destinatum, et Icterum, secretione fellis impedita, orientem putarunt; autem de hac re nihil dicam; nam vesica fellis inspectione cadaverum ictericorum, bile præter naturam turgida sæpe reperta est.

Plerique medici bilem in circuitum sanguinis delatam, et cum eo commixtam, causam Icteri proximam esse concedunt; tamen per quam viam in sanguinem vehitur, adhuc lis sub judice est. Quando cursus fellis in canalem alimentarium impeditur, vel in intestina præter naturam fluit, nullum dubium est experimentis celeberrimorum Doctorum Monro et Saunders, quin fel a vasis lymphaticis sorbeatur; et ad ductum thoracicum vehatur, et ab eo in circuitum sanguinis transiens, tali modo icterum excitet. Quidam fel duplice via sanguinem attingere posse putant; Hallerus celeberrimus injectionem subtilem

in ductum hepaticum immissam, facile etiam in venas hepaticas intrare comperit; et Doctor SAUNDERS aquam injectam modo eodem faciliter a venis, pleno in rivo, reddi. Itaque, bilem, quando cursus regularis impeditur, facile per ductum hepaticum, in venas hepaticas, et hinc in circuitum sanguinis transituram esse, concludunt. Hæc experimenta a præclaro MONRO et aliis, sed non eodem eventu, perfecta fuere. Cum his puto, Icterum rarissime, si unquam, regurgitatione fellis oriri posse.

DIAGNOSIS.

ICTERUS, signis jam recensitis in memoria retentis, cum ullo alio morbo, vix confundi potest.

Chlorosis ab *Ictero* facile distinguitur; nam in Chlorosi, oculi, magis quam ulla alia pars corporis, non flavescunt, urina non flava est, neque immissa colore luteo, tingit; sed potius urina pallida et limpida redditur; neque, ut in Ictero, gravitatis et tensionis sensus, in jecoris regione sentitur; et fœminæ solæ chlorosi obnoxiæ sunt.

In Febre Indiæ Occidentalis Flava, pyrexia typhodes, cum prostratione virium subita, et delirio adest; et fel in primas vias potius affluit quam deficit; quam ob rem hic morbus ab Ictero facile distinguetur.

PROGNOSIS.

Icterus, sicuti multi alii morbi plurimis causis interdum incognitis oritur: idcirco medici de ejus eventu fiducialiter præscire aut prænunciare sæpe non possunt.

Quando Icterus, adolescentibus et robustis, spasmo, fæcibus induratis, animi affectibus, graviditate, meconio infantum, viscido muco, calculis biliariis, vel causis quæ submoveri possunt, oritur; et ubi neque pyrexia, neque debilitas magna adest; prognosis faustissima est.

Sed quando æger ætate provectior est; et morbus ossificatione ductuum, vitiis jecoris vel viscerum circumjacentium oritur; sive cum ascite vel ullo alio morbo conjungitur; et ubi debilitas

magna, pulsus celerrimus, singultus et delirium adsunt, prognosis infaustissima est.

RATIO SYMPTOMATUM.

Color cutis et oculorum croceus, bile sanguinis sero commista, plane oritur. Oculi quam reliquæ partes non priusquam flavescunt; sed cum hoc evenit, cum præ cæteris albicent, et evidentius sit, cutis pruritus bile, effusa, nervosque irritante, excitatur.

Alvus tarda, deficiente felle, intestinis solito stimulo sic privatis: Nunc fæces albidæ, quia fel colorem flavum eis non præbet, sunt. Nausea et vomitus in hoc morbo, ab consensu ventriculi et jecoris per nervos, pendere videntur. Quando Icterus secretione fellis aucta oritur, vomitus a felle in ventriculum recepto pendet.

Urina, luteo colore, sanguine inquinato, fit. Flavedo lacrymarum et gustus in ore amarus a causa eadem, scilicet a bile sero sanguine mixta, pendent.

Languor, Lassitudo, Anorexia, et alia cibi male concocti indicia.—Fel concoctioni pernecessarium est, et non solum intestinis et ventriculo, sed etiam reliquis corporis partibus stimulum est; quando defectus fellis in intestinis est, languescunt, et hic torpor cum cæteris corporis partibus communicatur; nunc vitia supra dicta oriuntur.

Hypochondrii dextri tensio et dolor, calculo in ductu manente, nascuntur, vel hic dolor ad vesicam fellis bile turgidam, ejusque tunicas distendentem, vel ad fibrarum moventium rigiditatem, referendus est.

Cutis subnigra et subfusca est, hæmorrhagiæ et ulcerationes, quæ sua sponte interdum oriuntur, secretione fellis depravata, vel conditione corporis putrida, nasci videntur.

RATIO MEDENDI.

Cum Icterus tot causis oriatur, minime mirandum est, ut medicamenta plurima et inter se tam contraria ad eum sanandum adhibita sint; et ut

interdum sua sponte, nullis medicamentis assumptis, evanuerit. Sed ut hæc sæpe incassum adhibita sint, confitendum est; nam medici semper curare Icterum non possunt; aliquando causam excitantem nesciunt, et quando noscitur, sæpe non removenda est.

Consilia ad Icterum curandum sunt:

I. Causam excitantem, si fieri potest, tollere.
II. Indicia acerbiora allevare.

1. Calculi biliarii in ductibus inhærentes, causa excitans frequentissima, sunt; non tantum dolorem magnum, sed etiam inflammationem ductuum vel partium circumjacentium, cum pyrexia, inducunt. Igitur sanguis, e vena brachii missus, pro signorum violentia, et viribus ægri, detrahendus est; nam non solum ad inflammationem amovendam; sed etiam ad spasmum fibrarum musculosarum ductuum solvendum, quem irritatio calculi induxisset, prodest; sic descensus calculi in duodenum festinatur.

Post sanguis detractionem, medicamenta ut *sulphas magnesiæ*, vel *phosphas sodæ*, bene aqua diluta, ad alvum solvendam, et si opus sit, iterum repetita, adhibenda sunt. Itidem multum beneficium, non solum ex vesica, aqua tepida, distensa, aut laneis ex aqua tepida expressis, sed etiam ex enemate emolliente copioso injecto interdum derivatur, sic rectum et colon foventur, et spasmus haud parum solvitur. Si, postquam hæc usurpata essent, calculus adhuc in duodenum non transeat; æger haustum tincturæ cum opii guttis quadraginta, et ætheris sulphurici drachmam unam habeat, et in balneum calidum descendat. Nam nihil promovet descensum calculi expeditius, opio cum balneo calido, aut ad dolorem mitigandum, irritationem amovendam, vel spasmum solvendum, melius est; sed si vomitus maxime urgeat, enema mucilaginosum cum tincturæ opii centum guttis injiciatur maximo cum commodo.

Emetica interdum ad propellendum calculum in duodenum adhibita sunt, et modus operandi, convulsivo motu, qui tunc cum jecore et visceribus vicinis communicatur, oritur; hac actione, vesica fellis, bile turgida, comprimitur et emulgitur, cal-

culus in intestinum sic demittitur. Sed emetica mitiora, si unquam utenda sint, dosibus parvis, ut aliquid nauseæ oriatur, sumantur; nam exempla, ubi vesica fellis bile turgida, vomitu vehementi, rupta fuit, non desunt. Et sæpissime nausea et vomitus, sua sponte, sine ullo beneficio, calculo in ductu inhærenti, oriuntur.

Cathartica, quæ alvum acerrime stimulant, laudata sunt. Modus operandi emeticis similis; etiamsi quam emetica, tam periculosa, mihi non videantur, attamen mala, malis per hæc remedia orientibus, haud contraria aliquoties adsunt. Si calculus, propter suam molem, remediis jam dictis infeliciter adhibitis, in vesica fellis remaneat, vel in ductu inhærens sit; medicinæ variæ ad eum solvendum adhibitæ sunt; sed calculus, etiamsi oleo terebinthinæ, alcohole, et quibusdam acidis extra corpus solvi possit; tamen, priusquam hæc per canalem alimentarium et sanguinis circuitum transiissent, et contactu calculi fuissent, nulla facultas solvendi remanebit.

Quando jecoris vel viscerum vicinorum durities, causa Icteri excitans est; *hydrargyrus* ad ob-

structionem tollendam optimus est. Idcirco pilulæ hydrargyri, vel submuriatis hydrargyri granum unum cum dimidio grani opii conjunctum, omni vespere et mane exhibendæ sunt, vel unguenti hydrargyri fortioris drachma, omni vespere, et interdum mane in hypochondrio dextro infricenda est, et usus ejus, donec gingivæ et glandulæ salivam secernentes afficiantur, continuendus est; alvus aloë et sapone vel medicamentis ex his compositis, vel salibus mediis, eodem tempore solvenda est.

Cicuta et acidum nitricum ad duritiem emolliendam, multi laudata sunt. Aquæ quædam minerales, ut *Bath* et *Cheltenham*, quando Icterus duritie jecoris oritur, interdum prosunt. *Electricitas* et *galvanismus*, quando calculo in ductu inhærenti, aut ductuum torpore, aut jecoris duritie oritur, ad Icterum curandum pollentia dicuntur.

Si fel viscidum, vel fæces induratæ, Icterum excitent; cathartica, ut pulvis jalapæ, extractum Colocynthidis compositum, gambogia, vel ulla alia drastica purgantia aut per se aut submuriate hydrargyri conjuncta, quæ alvum acriter stimu-

lant, adhibenda sunt; donec fæces accumulatas, vel fel viscidum expulerint, in dosibus plenis repetenda sunt; brevi Icterus evenescet. Si Icterus spasmo ductuum vel duodeni nitatur, opium omnium antispasmodicorum potissimum, et remedia ad spasmum calculo orientem solvendum jam dicta, adhibenda sunt. Quando fel præter naturam secretum, Icterum producit, grana pulveris ipecacuanhæ viginti ad vomitum ciendum, et protinus catharticum cum granis pulveris jalapæ viginti et cum submuriatis hydrargyri granis quinque compositum, ad alvum solvendam præscribenda sunt. Si graviditas, aut retentio meconii in nascentibus Icterum civerint, medicamenta, quæ alvum leniter solvunt, ut magnesia, folia sennæ, pulvis radicis rhei palmati, et oleum ricini, optima sunt, et pro re nata repetuntur.

II. Indicia acerbiora, epigastrii dolor et tensio, nausea et vomitus, cutis pruritus, et alvus tarda, sopienda sunt.

Opium, balneum tepidum, fomenta, et omnia ad calculum expellendum, et spasmum solvendum

jam dicta, ad dolorem epigastrii mitigandum adhibeantur; et emplastrum vesicatorii meloës amplum, quod sæpissime prodest, si symptomata adhuc urgeant, regioni epigastrii et jecoris imponi debet. Haustus salinus effervescens ex carbonate potassæ et acido citrico, sæpe nauseam et vomitum sedat. Grana oxidi antimonii cum phosphate calcis quinque, vel grana pulveris ipecacuanhæ et opii decem, et omni tertia vel quarta hora repetita, ad sudorem eliciendum, et ad pruritum cutis levandum, ægro dentur, vel halitus cutis liber et somnus haustu tincturæ opii et vini tartritis antimonii producantur. Alvus tarda, felle deficiente, oritur; medicamenta, ut pulvis rhei palmati, sales mediæ, aloë et sapo, ad alvum solvendam optima sunt.

Si omnia mala indicia his auxiliis sublata sint, et æger convalescat, verumtamen, ut causæ prædisponentes, excitantesque, quanto fieri possit, evitandæ sint, exercitatio corporis lenis, diæta idonea et facilis concoctu cum tonicis, et purgantia lenia ad alvum solvendam, adhibeantur.

FINIS.